

# EPISTULA LEONINA

## CCLIII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM TERTIAM (253)**

# ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>03-04</b>
<b>ΤΟΛΜΗΣΟΝ ΦΡΟΝΕΙΝ ΙΔ ΕΣΤ ΣΑΠΕΡΕ ΑΥΔΕ!.....</b>	<b>05</b>
<b>CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM.....</b>	<b>06</b>
<b>MYTHI GRAECORUM: <i>Theseus, mulierum raptus et finis</i>.....</b>	<b>07-11</b>
<b>DE SANCTO HIERONYMO EIUSQUE LEONE <i>Iacobus de Voragine</i>.....</b>	<b>12-14</b>
<b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>	<b>15-16</b>
<b>DEDICATIO OHLIGIANA <i>quam scripserunt Markus Gross et Robertus Kerr</i>.....</b>	<b>17-23</b>
<b>CHRONOGRAMMA ROESSLERIANUM.....</b>	<b>24</b>
<b>ECHUS VOCES ET EPISTULAE.....</b>	<b>25-28</b>
<b>CORRIGENDA ET SUPPLENDA.....</b>	<b>29</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>30-33</b>

## PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS  
LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

*Cara Lectrix, Care Lector,*


*quid agis, dulcissime rerum, istac in tempestate putativê pandemicâ? Ubi demagogi atque pseudo-prophetae novi ordinis mundi mendacissimi potius instigantes quam moventes non desinunt hariolari de Russorum bellicositate deque seditione a Canadianis autoplaustrariis conflatâ necnon de vîri vîrulentîâ servitutis inevitabilis perpetuaeque causâ putativâ. Veni mecum et ambula per vias, ubi homines perquam pacificê atque benevolentissimê manifestant desiderium suum pacis et veritatis et ...libertatis – o nomen dulce libertatis! (Cicero in Verrem II 5, 163). Utinam tandem consensus omnium bonorum victoriam pariat felicissimam. Cum autem multis cum hominibus bonae voluntatis iucundissimê colloquens per vias ambulaveris, domum reversus conside et helleuare lectiunculâ Latinissimâ.*

*En cenam tibi paratam sapidissimam. Tolle lege – laetaberis.*

*Pancraticê vale et perge mihi favere.  
Medullitus te salutat...*

**Dr. Nicolaus Groß**


**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Martis  
22. m.Febr. a.2022**



"What is Enlightenment?"  
**Immanuel Kant**  
*Sapere aude!*

# ΤΟΛΜΗΣΟΝ ΦΡΟΝΕΙΝ

## SAPERE AUDE !

**AESCHYLUS, Prometheus vinctus** 999sq.: Ἐρμῆς. Τόλμησον, ὧ μάταιε, τόλμησόν ποτε πρὸς τὰς παρούσας πημονὰς ὀρθῶς φρονεῖν

**HORATIUS, Epistulae** I 2,40sq.: Dimidium facti, qui coepit, habet; **sapere aude**,/ incipe. Viuendi qui recte prorogat horam,/ rusticus expectat dum defluat amnis; at ille/ labitur et labetur in omne uolubilis aeuum.

**IMMANUEL KANT (1724-1804): »Was ist Aufklärung? AUFKLÄRUNG** ist der Ausgang des Menschen aus seiner selbstverschuldeten Unmündigkeit. Unmündigkeit ist das Unvermögen, sich seines Verstandes ohne Leitung eines anderen zu bedienen. Selbstverschuldet ist diese Unmündigkeit, wenn die Ursache derselben nicht am Mangel des Verstandes, sondern der Entschliefung und des Mutes liegt, sich seiner ohne Leitung eines andern zu bedienen. **S a p e r e a u d e !** Habe Mut, dich deines eigenen Verstandes zu bedienen! ist also der Wahlspruch der Aufklärung.« - Beantwortung der Frage: Was ist Aufklärung? In: Berlinische Monatsschrift, Dezember-Heft 1784, S.481-494.

## **CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM**

*Kommentar zu Ylenias Toben am 17. 2. 2022*

NATVRA ITERVM PROBAT

NOS PAVPERES INOPES VERMES ESSE

Die Natur beweist wieder, dass wir arme, machtlose Würmchen sind.

*HDf*

# MYTHI GRAECORUM

## Theseus quomodo mulieres rapuerit



THESEUS ET PIRITHOUS HELENAM RAPIUNT

Theseus relictus atque senescens eo quod Pirithoo heroe iuvene familiariter utebatur, novâ voluptate affectus est pericula audacia et lasciva subeundi. Pirithous, cuius uxor post breve coniugium mortua erat, et Theseus nunc quoque caelebs unâ profecti sunt ad feminas rapiendas. Illo tempore Helena, quae postea in tantam claritudinem pervênit, filia Iovis et Ledaë, quae in palatio Lacedaemonio vitrici Tyndarei adolevit, adhuc valdê iuvenilis fuit. At eadem iam virgo fuit suae aetatis omnium pulcherrima, eiusque fama iam per totam Graeciam percrebruerat. Quam in templo Dianae saltantem viderunt Theseus atque Pirithous cum rapinam facientes venirent Lacedaemonem. Uterque vir amore huius puellae inflammatus est. Lasciviâ suâ inducti hanc principissam e sacro raptam primo abduxerunt Tegeam Arcadiensem. Ibidem sortes iacturi unus alteri more fraterno promisit, se, nisi alter sortem acceperit, illi affuturum esse alteram mulierem pulcherrimam rapiendi. Sortibus iactis praeda Theseo attributa est, qui nunc virginem Aphidnas secum adduxit in regione Atticâ sitas, ibique





#### THESEUS ET PIRITHOUS SORTES IACIUNT

Aethrae tradidit matri suae et in tutelam dedit amici sui. Deinde Theseus unâ cum commilitone suo iter pergens deliberavit, quodnam facturi essent facinus herculeum. Pirithous autem statuit, ut Proserpinam uxorem Plutonis e sede inferorum abducerent, ut eiusdem mulieris possessione sibi compensaret Helenae amissionem. Iam narravimus hoc inceptum iisdem tam infeliciter successisse, ut a Plutone condemnarentur ad aeternam mansionem infernalem, et Herculem ambos liberaturum tantummodo Theseum ex sede inferorum servare potuisse. Cum Theseus isto itinere infelici facto apud inferos captus sederet, Helenae fratres Castor atque Pollux profecti sunt Atticam invasuri, ut sororem liberarent. Sed in initio civibus Atticae non vim intulerunt, sed pacificê Athenas venientes postulaverunt, ut Helena sibi redderetur.

Sed cum cives urbani responderent se neque principissam iuvenem secum habere neque scire, ubi a Theseo relicta esset, fratres irâ incensi unâ cum agminibus comitantibus reverâ bellum erant gessuri. Nunc Atheniensibus territis unus ex iis nomine



Academus, qui mysterium Thesei quoquomodo acceperat, fratribus patefecit locum, ubi Helena latêret, esse Aphidnas. Hoc oppidum nunc Castor atque Pollux aggressi proelio vicerunt celeriterque expugnaverunt.

Athenis quoque interim alia facta erant Theseo incommoda. Menestheus, filius Petei, pronepos Erechthei, demagogus multitudini adulatus regiam sedem vacuum petiverat proceresque excitaverat eo quod affirmaverat illos a rêge e sedibus suis in urbem intractos subditos et servos factos esse. Plebem autem vituperavit, quod somnio libertatis dedita sacra sua ruralia reliquisset et pro eo, ut multis dominis bonis obnoxia esset, serviret viro alieno et tyranno.

Cum Athenienses territi acciperent Aphidnas a Tyndaridis expugnatas esse, Menestheus illorum perturbatione usus est, ut voluntatem suam ad effectum adduceret. Civibus enim persuasit, ut filiis Tyndarei, qui Helenam virginem vigilibus ereptam secum ducebant, urbem aperirent illosque cômitem reciperent, quia illi contra neminem bellum gererent nisi Theseum raptorem puellae. Evidenter autem apparuit a Menestheo dictum esse verum. Nam fratres quamquam per portas apertas in urbem Athenarum introgressi ibidemque omnia in suâ potestate haberent, tamen nemini vim afferentes nihil postulaverunt nisi ut mysteriis eleusiniis sacris initiarentur, et deinde unâ cum Helenâ suâ servatâ, quam diligebant atque honorabant, ex urbe sollemniter educti in patriam reverterunt.

### **De fine Thesei.**

Interea Theseus ab Hercule liberatus e sede inferorum reverterat. Etiam nunc eidem in throno sedenti non licuit quieti se dare; nam gubernaculo civitatis recuperato conflatae sunt seditiones in eum, quarum auctor semper fuit *Menestheus*, princeps factionis nobilium, qui adhuc se appellabant *Pallantidas*, id est nomine *Palladis* avunculi sui eiusque filiorum victorum atque occisorum.

Ii, quibus Menestheus antea odio fuerat, paulatim eundem timere dedidicerunt, et plebecula indulgentiâ eius tantopere corrupta erat, ut pro eo ut oboediret, nihil vellet nisi blandimenta accipere.

Theseus autem primo conatus est remedia adhibere violenta; cum autem insidiis seditiosis necnon apertâ obtrectatione omnia studia sua ad vanum redacta essent, rex miserrimus, postquam filios suos Acamantem atque Demophontem curavit clam in Euboeam insulam ad principem Elephenorem abducendos, decrevit, ut voluntariê relinqueret urbem suam sibi ingratham. *Gargetto* in quodam viculo Atticae Theseus sollemniter exsecratus est Athenienses, ibi, ubi longê post adhuc ostendebatur campus exsecrandi; deinde pulvere a pedibus deiecto navem ascendit Scyrum vecturam. Huius insulae incolas rex habuit pro amicis sui extraordinariis, nam magna bona possedit in eâdem sita, quae a patre heres acceperat. Illo tempore Lycomedes fuit dominus Scyri. Eum Theseus adiit et rogavit, ut sibi permetteret bona sua inspicere heredio accepta. At fatum heroem duxerat per viam funestam. Lycomedes sive gloriam Thesei timuit sive conventum secretum cum Menestheo fecerat, rationem quaesivit, quâ hospitem sibi mandatum sine tumultu de medio tolleret. Itaque Lycomedes heroem duxit ad summum insulae scopulum, qui asperê prominebat in terram. Îdem simulavit se velle curare, ut Theseus uno conspectu videret pulchra illa bona in insulâ sita, quae pater eius possederat.

Theseus cum summum scopulum advenisset, laetê oculis suis perlustravit campos amoenissimos: Tum princeps perfidus a tergo eum tam vehementer appulit, ut Thesei corpus per saxa praecipitatum in profundo diffringeretur.

Plebecula autem Atheniensium ingrata Theseum mox oblîta est et Menestheus regnabat, quasi sedem regiam heredio accepisset a multis maioribus. Filii autem Thesei unâ cum heroe Elphenore milites gregarii Troiam obsessuri erant. Mortuo demum Menestheo iidem Athenas reversi sceptrum regni recuperaverunt manu propriâ. Multis demum saeculis postea id factum est, ut Athenienses Theseum colerent heroem suum proprium; cum enim prope Marathonem proelium committerent gravissimum contra Persas, vetus heros veteribus armis armatus e sepulchro ascendit, ut dux

populi sui contra barbaros pugnaret. Itaque oraculum Delphicum Atheniensibus imperavit, ut ossa Thesei afferrent et honeste sepelirent. At ubinam eadem a civibus quaerenda erant? Etiam si in insulâ Scyro sepulchrum invenissent, quomodo fieri potuisset, ut Thesei reliquias sorte legendâ acciperent ex manibus barbarorum ferorum virisque alienis infestorum? Tum factum est, ut Cimon filius Miltiadis, illustris vir Atheniensis, novam expeditionem faciens expugnaret insulam Scyrum. Îdem magnâ cum industriâ sepulchrum herois nationalis quaeritans animadvertit aquilam, qui volitabat supra collem. Tum Cimon hîc loco constitit. Mox autem vidit avem se raptim deicientem et humum tumuli unguibus perruentem. Vir intellexit hoc esse signum voluntatis divinae, curavit humum fodiendo aperiendam et in humo profundissimâ invênit arcam funebrem magni corporis mortui, iuxta idem hastam aeneam et gladium. Cimon eiusque comites non dubitaverunt, quin invenissent ossa Thesei. Reliquiae sacrae a Cimone in pulchram navem triremem delatae et Athenis magno cum iubilo et pompis splendidis sacrisque receptae sunt. In urbem visus est redire Theseus ipsissimus. Sic saeculis demum transactis factum est, ut Athenienses posteri conditori libertatis atque rei publicae suae eas gratias agerent, quas debitas eidem numquam solverant ingrati concives aequales.

**MYTHOS GRAECOS  
A GUSTAVO SCHWAB  
THEODISCE ENARRATOS  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

**DE SANCTO HIERONYMO EIUSQUE LEONE  
 QUID NARRET IN LEGENDA SUA AUREA  
 IACOBUS DE VORAGINE**



Jean-Léon Gérôme (1824 - 1904), Sanctus Hieronymus (pinxit a.1874)

**DE SANCTO HIERONYMO**

1. Quadam die advesperascente cum Hieronymus cum fratribus ad sacram lectionem audiendam sederet, subito leo quidam claudicans monasterium ingressus est. Quo viso cum ceteri fratres fugerent, Hieronymus ei quasi hospiti obviavit. Leo igitur dum pedem sibi laesum ostenderet, vocatis fratribus pedes sibi praecepit abluere et diligenter eius plagam inquiri. Quod cum factum fuisset, invenerunt leonis plantam a sentibus vulneratam. Adhibita igitur diligenti cura leo convaleuit et omni feritate deposita inter eos quasi domesticum animal habitavit. Tunc Hieronymus videns, quod non tam pro sanitate sui pedis quam pro eorum utilitate Dominus leonem misisset, de fratrum consilio eidem hoc iniunxit officium,


ut asinum, quem habebant, qui ligna de nemore deferebat, ipse leo ad pascua duceret et ductum ibidem custodiret. Quod factum est. Nam iniuncta leoni asini cura more pastoris industrii eundo ad pastum socius incessanter itineris undecumque defensor tutissimus erat; verumtamen ut se cibaret et asinus solitum perficeret opus, consuetis semper horis cum eo domum redibat.

2. Quadam igitur vice pascente asino et leone graviter soporato mercatores cum camelis inde transeuntes asinum solum viderunt et eum quantocius rapuerunt. Expergefactus igitur leo cum socium non inveniret, rugiendo huc illucque ibat. Quem tandem non inveniens ad portas monasterii tristis adiit et intus, ut solitus erat, prae verecundiâ ingredi non praesumpsit. Et videntes fratres, quod tardius solito more et sine asino venisset, putaverunt, quod fame compulsus asinum comedisset, nolentesque ei annonam attribuere consuetam dicebant: »Vade et reliquam partem aselli, quae tibi remansit, mande et tuam ingluviem reple.« Haesitantes tamen, utrum hoc malum perpetrasset, exierunt ad pascua, si forte aliquod indicium mortis invenirent, et nihil inventientes hoc Hieronymo rettulerunt.

3. Tunc monitis eius officium asini leoni iniungunt et ligna caedentes leoni imponunt. Quod cum leo patienter ferret, quadam die expleto opere agrum exiit, hac illaque discurrit scire desiderans, quid de suo fuisset socio factum. Et ecce vidit a longê negotiatores cum onustis camelis praecedente asino venientes. Mos enim illi regioni est, ut, quando cum camelis longius gradiuntur, cameli, ut directius vadant, praecedentem et collo funiculum gestantem asinum subsequantur. Recognito igitur leo asino cum ingenti rugitu super eos irruit et omnes homines in fugam convertit. Et leo terribiliter rugiens percutiebat caudâ fortiter terram perterritosque camelos, sicut erant onusti, ante se ad cellam ire coegit. Quod cum fratres vidissent et Hieronymo nuntiassent, ille ait: »Hospitibus nostris, fratres carissimi, pedes abluite, escas praebete et super hâc voluntatem Domini exspectate.« Tunc leo per monasterium coepit, ut solebat, laetus discurrere, singulorum fratrum vestigiis se

prosternens et quasi de perpetrât, quam non fecerat, culpâ caudâ alludens veniam postulabat. Hieronymus autem futurorum praescius ait fratribus: »Ite, fratres, et venientibus hospitibus necessaria praeparate.« Adhuc eo loquente nuntius ad eum vênit annuntians ante fores hospites adesse, qui abbatem vellent videre. Ad quos cum ille ivisset, protinus illi eius pedibus provolvuntur pro culpâ veniam postulantes. Quos ille benignê elevans praecepit, ut sua reciperent et aliena non usurparent.

Textum supra allatum excerpti e libro Hermanni Schulz, qui inscribitur: *Mittellateinisches Lesebuch. Auswahl aus dem lateinischen Schrifttum des Hochmittelalters. Herausgegeben und erläutert von Hermann Schulz, Verlag Ferdinand Schöningh Paderborn 1965. Teil I: Texte, Jacobus de Voragine: Legenda aurea. p.59 sq.: 3. Vom heiligen Hieronymus.*



**TEXTUM  
EX LEGENDA AUREA  
IACOBI DE VORAGINE  
EXCERPSIT  
LEO LATINUS**

## CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

Zum 5. Februar, dem **Fest der heiligen Agatha:**

2022\* Agatha **CatanIae SICILIAe CarbonIbVs DefLagrantiVs MartYr**  
**ChrIstI** orab**It** pro nob**Is**. – Agatha, die in Catania auf Sizilien auf glühenden  
 Kohlen das Martyrium Christi empfing, wird für uns beten. – Agatha, die  
 sich Christus als Jungfrau geweiht hatte und deshalb des Heiratsantrag des  
 Statthalters ablehnte, wurde während der Verfolgung des Decius 249/251 in  
 Catania auf Sizilien auf glühenden Kohlen zu Tode gefoltert.

**Zum 10. Februar, dem Fest der heiligen Scholastika:**

2022\* **S**Co**L**ast**I**Ca **V**Ir**g**o p**I**a et soror **B**ene**D**ict**I** abbat**Is** sap**I**ent**Is** et fort**Is**  
**Co**L**V**M**a** ob**I**t. oret pro nob**Is**. – Die fromme Jungfrau und Schwester des  
 weisen und starkmütigen Abtes Benedikt ist als Taube <zum Himmel>  
 aufgestiegen. Sie möge für uns beten! – Scholastica (480-542), (Zwillings-?)  
 Schwester Benedikts und erste Benediktinerin, starb drei Tage nach dem  
 letzten Besuch ihres Bruders, der ihre Seele nach dem Bericht des hl.  
 Gregors des Großen in seinen Dialogen in der Form einer Taube zum  
 Himmel auffahren sah.

**Eine weitere Etappe von Fest zu Fest auf dem Chronogrammatischen Jahresweg  
 2022 – herzlichst, Pe. Herbert Douteil, CSSp.**

Zum 14. Februar, dem **Fest der Slawenapostel Kyrill und Methodius:**

2022\* **C**Yrill**V**s et **M**etho**D**I**V**s fratres pro propagat**I**one e**C**CL**e**s**I**ae ze**L**at**I**  
**s**V**nt**. – Die beiden Brüder Kyrill und Methodius haben eifrig für die  
 Ausbreitung der Kirche gearbeitet. –Kyrill (826-869) und sein Bruder  
 Methodius (815-885) wurden in Thessaloniki geboren und in Konstantinopel  
 am Kaiserlichen Hof ausgebildet und widmeten sich der Mission unter den  
 Slawen in deren eigener Sprache, wofür Kyrill die nach ihm genannte Schrift  
 entwickelte; für diese Mission suchten und fanden sie Rückhalt in Rom, wo  
 Kyrill starb, aber die Päpste ihr Werk bestätigten; Methodius wurde zum  
 Bischof geweiht und zum päpstlichen Legaten ernannt.





Benedikt sieht die Seele seiner Schwester in Form einer Taube zum Himmel auffahren –  
Fresko, Schule von Umbrien, 15. Jh., Subiaco, Oberkirche

**HAEC CHRONOGRAMMATA COMPOSUIT PATER  
HERBERTUS DOUTEIL BRASILIENSIS**

## DEDICATIO OHLIGIANA

Vides ut alta stet nive candidum Soracte (*HOR.carm.1,9,1*)

Magno cum gaudio editores auctoresque volumen decimum seriei *Inârah* dedicant **Professori Carolo Henrico OHLIG** Spiritui Rectori Instituti, quo investigatur *Historia Islami prioris atque Alcorani*. Hoc eo magis nobis decere visum est, quod titulo voluminis primi omnium, cui redigendo iubilarius non iam præsederat, tamen nomen eius adderemus. Ratione enim multiplici *Inârah* tamquam proles spiritualis Caroli Henrici Ohlig apparet et dedicatio huius voluminis videtur convenire cum huius viri doctissimi visione scientificâ et admirabili facultate investigationes dispensandi.

Carolus Henricus Ohlig natus est Castellæ (*Kesselheim*) prope urbem Confluentium (*i.e. Koblenz*) die 15. m.Sept. a.1938. Abiturio superato iuvenis inter annos 1957 et 1963 Augustæ Treverorum, Æniponti, Monasterii Westphalorum, Monaci, Saravipontique studuit historiae et philosophiae et theologiae catholicae cognoscendis, postea munus quoddam gessit capellani in urbe Saraviae, quae theodiscê appellatur *Neunkirchen*. Deinde anno 1969 Carolus Henricus Ohlig *Carolo Rahner* theologo Universitatis Monasteriensis moderante ad gradum doctoris promotus est thesi suâ, quae inscribitur: *Woher nimmt die Bibel ihre Autorität? Zum Verhältnis von Schriftkanon, Kirche und Jesus* (Dusseldorpi, 1970). Quæ thesis est prima symbola huius auctoris in lucem edita, quâ îdem primum patefecit, in quam regionem investigandi animus suus esset propensurus. Anno 1970 iuvenis aetatis suae professor Germaniæ natu minimus assignatus est cathedræ theologiæ catholicae Universitatis Pædagogicæ Saraviensis. Ab anno 1978 usque ad annum 2006 docuit in Universitate Saraviensi Saraviponti in urbe professor *Scientiae Religionum et Historiae Christianismi*. Hôc spatio temporis bis electus est decanus Facultatis Philosophiae. Anno 1973 in matrimonium duxit mulierem nomine *Brigittam*. Deinceps multa publicavit scripta nonnumquam controversa, quae adhuc sunt lectu

digna, e.g.: *Blockiert das katholische Dogma die Einheit der Kirchen?* (Dusseldorpi, a.1971); *Die theologische Begründung des neutestamentlichen Kanons in der alten Kirche* (Dusseldorpi, a.1972); *Braucht die Kirche einen Papst?* (Dusseldorpi, a.1973); *Jesus Entwurf zum Menschsein: Überlegungen zu einer Fundamental-Christologie* (Stutgardiaë, a.1984); *Fundamental-christologie – Im Spannungsfeld zwischen Religion und Kultur* (Monaci, a.1986); *Ein Gott in drei Personen? Vom Vater Jesu zum "Mysterium" der Trinität* (Moguntiaci, a.1999). Nonnullis horum operum tempore publicationis suscitatae sunt magnae controversiae, quibus cursus honorum professoris Ohlig erat insignis. Tales autem controversiæ certê viros mentis acumine praeditos potius comitantur quam istos, qui obsequenter omnia accepta comprobant quæ sibi inculcantur. At vir verê sagax, qualis est Professor Ohlig, scientiis litterisque imbutus didicit quæstiones idoneas interrogare atque responsiones indagare maximâ cum perseverantiâ atque methodologiâ diligentissimâ, deinde, quâ est subtilitate philologicâ, redit ad fontes facitque analysin idoneorum textuum fundamentalium quam profundissimam, atque devitat theorias secundum spiritum temporis excogitatas. Talem rerum scientificarum investigatorem iubilarius noster studiis suis doctis iterum iterumque insigniter se praestitit. Īdem vir litterarum quam peritus sit, clarê apparet non solum in eius operibus publicatis, sed etiam in acroasibus, quæ amari solebant a studiosis atque auditoribus generalibus. Multae allocutiones Ohligianae, quantum licuit, conversæ sunt in fundamenta librorum ac symbolarum. Spatio temporis quo docuit perlongo iubilarius noster multos habuit alumnos non solum e Germaniâ, sed etiam ex aliis Europae terris aliisque regionibus longinquis oriundos, quorum dissertationes si quis perlustraverit, clarê cognoscet, quantâ sit ingenii multiplicitate illorum doctoralis pater et praeceptor et promotor. Multi alumni Ohligiani animis commotis recordantur examina oblivione indelebilia, quibus îdem professor quaestiones ponebat ambiguitate suâ famosas, praesertim eas, quae spectabant ad hinduismum et buddhismum... sæpe vox huius professoris alumnis examinandis more biblico videbatur venire e columnâ fumi. Inter quæstiones

fundamentales, in quas tractandas iubilarius frequenter incumberebat, erat ea quae pertinet ad naturam ac originem Trinitatis. Etiam in hac quaestione perscrutandâ Ohlig demonstravit, quantum valeret ponere quaestiones idoneas, quia quo magis idoneae essent quaestiones positae, eo meliores essent responsiones, ad quas adduceremur. Non oportere, ut aliqui investigator tantummodo dependeret a testimoniis traditis – nam alioquin saepius effici opiniones praeiudicatas. Etiam in hac re manifestatur peritia textuum fundamenta-lium Ohligiana, quâ nixus hic vir doctus vestigia secutus est et evolutionem notionum christianarum naturæ divinitatis atque Trinitatis et evitavit suppositiones anachronisticas necnon clarê distinxit inter theologiam et cultum civilem – ut ait Scaliger “*Non aliunde dissidia in religione pendent, quam ab ignoratione grammaticæ.*”<sup>1</sup> Etiam si theologia christiana remansit provincia investigandi Ohligii praecipua, tamen eius animus etiam phaenomeno religionis generali valdê attrahebatur – ut hoc appareat, unum tantummodo exemplum afferamus opus Ohligianum, quod inscribitur *Religion in der Geschichte der Menschheit* (Tremonia, a.2002).

Propter studia iubilarii, eiusque experientiam atque peritiam fontium, qui spectabant ad historiam ac evolutionem theologiae christianae, praesertim Sanctissimae Trinitatis, sed et historiae religionum, fortasse mirum non videbitur eum etiam in religione islamicâ versari tractandâ. Anno 1990 ad cathedram studiorum orientalium, cui in Almâ Matre Saravipontanâ solebat attribui summa auctoritas religionem islamicam resque arabicas perscrutandi, fama tulit theologum quendam in praelectionibus suis quaestiones ponere, quibus doctrinae de origine religionis islamicæ traditae funditus tollerentur. In luce historiae religionum christologiaeque haec doctrinarum sublatio non apparuit nova “adinventio” vel revolutio spiritualis in deserto arabico, sed potius reactio Levantinorum contra inculcationem novae christologiae chalcedoniensis.

Iubilarius noster aliquando adnotavit se, postquam sustinuerit inquisitio-nem sacram atque multa tribunalia ecclesiastica, denique

<sup>1</sup> *Prima Scaligeriana. Nusquam antehac edita*, Ultrajecti, apud Petrum Elizivirum, 1670, 59.

etiam accepisse pulchrum exemplum illius sententiae religiosae, quae appellaretur *fatwa*!

Nihilominus îdem vir celebrandus anno 1999 praeter cathedram theolo-giæ catholicæ in Universitate Saraviensi condidit sedem operarum scientiae religionis (i.e. *Arbeitsstelle für Religionswissenschaft*). Ohlig in seminario recenter condito cum cetera tum praecipuê id sibi proposuit, ut persequeretur novas vias Alcoranum historiamque islami investigandi (“*Neue Wege der Erforschung des Koran und der Frühgeschichte des Islam.*”) Anno 2000 liber eius, qui inscribitur: *Weltreligion Islam: eine Einführung*, Tremoniaë publici iuris factus est – eodem anno quo alterum opus eminentissimum alterius investigatoris saravipontani editum est, id est *Christophori Luxenbergi* opus, cuius titulus est *Die syro-aramäische Lesart des Koran – Ein Beitrag zur Entschlüsselung der Koransprache* (quod editum est Berolini et Tubingæ) - opus cuius editionem iubilarius noster, praesertim tempore decanatûs sui, collegarum suorum inquisitiones patientium adiutor et fautor indefatigabilis ac devotus diligentissimê fovebat.

Ut hæ investigationes ad originem religionis islamicaë Alcoranique magis promoverentur, Professor Ohlig rude donatus die vicesimo tertio Maii a.2007 condendum curavit institutum investigatorium lucris expertis – cui nomen est impositum arabicum *Inârah* (quod valet *illuminismum*). *Munîrûn* conditores erant Domina *Puin* Dominique *Ohlig, Gross, Puin, Puin, Popp, Wagner*. Anno sequenti primum illorum septem symposiorum factum est diebus decimo tertio decimoque sexto mensis Martii in oppido *Otzenhausen* Saraviensi.

Longum est opera Professoris Ohlig ad studia islamica spectantia enumerare. Necesse est recordari philologos occidentales litteris islamicis interpretandis deditos, paucis tantum quadamtenus exceptis, usque ad exiens saeculum vicesimum praecepta alcorani muslimica intelligendi tralaticia servantes nequaquam adhibuisse europaeas methodos historico-criticas.

Iubilarius noster semper palam confitens se neque arabistam neque peritum esse studiorum islamicorum ita accedebat studia

religionis islamicae et Alcorani ut solent philologi accedere quamcumque aliam materiam investigatione philologica dignam.

Philologia in occidente per longum spatium temporis tradita neque umquam, ne Medio Ævo quidem, perdita (cfr *Postillæ* Nicolai a Lyra), scientia est, quæ sensum textuum explorat, præsertim his tribus rationibus:

I) analysi textuum quam diligentissimâ

II) analysi linguisticâ

III) contextualisatione historicâ.

Tertia autem ratio certissimè facta est professoris Ohligii provincia præcipua. Cum autem îdem semper esset cupidus res scientificas atque historicas cognoscendi etiam extra provinciam suam propriam positas, id ei contigit, ut attraheret complures scholares a quibus exaugeretur thesaurus eruditionis suae.

Considerantibus autem nobis historiam alcorani investigandi recentiorem apparet res inexpectata: perscrutatio critica atque systematica Alcorani ac originum religionis islamicae, præsertim examen fontium criticum, quod investigatores instituti *Inârah* sibi proposuerunt quam diligentissimè excolendum, non incohatum est nisi vicesimo demum sæculo exeunte. Nunc autem recordemur philologiam classicam peperisse philologiam biblicam sæculo sexto decimo, eamque emancipavisse se ipsam a theologiâ sæculo septimo decimo ineunte. Hôc tempore philologi scripserunt opera, quibus fieri potuit, ut criticè explicarentur sacri textûs iudaico-christiani – compositae sunt exempli gratiâ editio critica amborum Testamentorum, Novi et Veteris, et Bibliæ polyglottae et Lexica verborum nominumque biblicorum subtilissima. Iam *Scaliger* dubitabat de auctoritate originali vocalisationis hebraicae signis diacriticis massoreticis indicatae – eum secutus est *Capellus* (cui contradixit *Buxtorf*). Si haec respicimus, miramur, quod islamologis adhuc persuasissimum est signa diacritica arabica in Alcorano esse originalia! Illo autem tempore plures theologi quam umquam antea comprehenderunt textûs biblicos obscurari numerosis difficultatibus textualibus et linguisticis et historicis – et easdem quo saepius ipsi solvere conarentur, quadam cum ironiâ eo graviores fieri.

Etiam si non fuit propositum philologiae biblicae auctoritatem Scripturae subruere, nihilominus eadem hoc ipsum fecit liberans christianitatem a servili adhæsione interpretationum ac suppositionum, quae effectae erant opinionibus praeiudicatis. Philologia biblicae effectum est, ut lectores cum fidelibus recogitarent, quae ratio intercederet inter se Sacramque Scripturam, sed non necessariò diminuta est fides, quâ illi credebant originem ipsius revelationis esse divinam. Theologia critica tamen interpretationem dogmaticam affectabat. Philologi autem solebant res colligere atque inter se comparare ad regularitates investigandas et hypotheses inveniendas, quibus anomalias explicarent atque submitterent easdem scrutiniis æquorum in spiritu humilitatis epistemicæ. Illo enim tempore auctoritas mosaica pentateuchi addubitari coepit – cfr tres scriptores *Hobbes – Spinoza – La Peyère*. Cito clarè apparuit axioma Sancti Hieronymi, quod est “*Tot enim sunt exemplaria quot codices*”<sup>2</sup>, non solum quadrare ad textum Vulgatæ sed etiam textum Bibliæ – instabilitas textualis erat enim male censa eo quod conduxit ad vulnerabilitatem theologiam. Etiam si pro textu Vulgatæ statutum erat, ut Editio authentica fieret in sessione quartâ Concilii Tridentini die 8. m. Aprilis a.1546, omnes partes christianitatis pergebant elaborare versionem criticam textuum ad originalem sensum inveniendum.

E contrario videmus islamologiam scientificam semper morari iner-tissimam... lexicon historico-etymologicum linguæ arabicæ adhuc deesse, item et criticam versionem Alcorani ... et plerasque editiones islamicae litteraturae tralaticiae publicari minus diligenter elaboratas quam editiones textuum Patrum ecclesiasticorum, quae factae sint tempore Renovationis.

Revertamur autem ad iubilariū nostrum: Professor Ohlig investigatione suâ propriâ eo quod condidit institutum *Inârah* – ut ita dicam – ad studia alcoranica fovenda quadamtenus effecit tamquam *catalysta*. Itaque îdem vir doctus investigationem scientificam religionis islamicae atque textuum eiusdem sacrorum sic fovit atque promovit ut investigationem qualiscumque materiae alterius. Quod talis investigatio sæpe nuncupatur “islamophobica”,

<sup>2</sup> *Praefatio in Evangelia*, 526 C.



revelat potius spiritum temporis quam qualitatem investigationis Ohligianae. Ohlig operibus praecursorum suorum nixus demonstravit doctrinam originis islami traditam derivatam esse e fontibus inter se contradicentibus, quibus referretur de rebus circa duo vel tria saeculis antea factis – unde suspicio hermeneutica oritur. Ea quae de vitâ Mahometi narrantur, revelatio cum codificatione Alcorani, Iudæi qui creduntur cum christianis habitare *Hidiazî* tempore seræ antiquitatis, qui caliphi recte sunt ducti, *Umaiadi* ut musulmani – istaec omnia sicut et auctoritas mosaica fabulosa esse concludendum est. Professori Ohlig demonstranti istas fabulas esse fictas et commenticias et anachronisticas etiam id contigit, ut originem religionis islamicae ac Alcorani imponeret contextui historico controversiarum theologico-christologiarum illius aetatis.

Denique nobis restat, **Professor Carole Henrice Ohlig**, praeceptor noster et conditor instituti *Inârah* meritissime, ut intimo ex corde gratias tibi agamus pro laboribus scientificis a te exanclatis, pro auxiliis tuis liberaliter concessis, pro adhortationibus necnon pro amicitia tuâ per tot annos nobis benignè oblati. Bene vale, vir doctissime atque carissime, ad multos annos feliciter!

**cur non sub alta vel platano vel hac  
pinu iacentes sic temere et rosa  
canos odorati capillos,  
dum licet, Assyriaque nardo  
potamus uncti?**

(HORATIUS, *Carmen 2,11,13-17*)

**HAEC DEDICATIO OHLIGIANA A MARCO GROSS ET ROBERTO M. KERR** LATINĒ SCRIPTA INVENITUR IN LIBRO NUPER EDITO QUI SEQUITUR: **Markus Groß/ Robert M. Kerr (Hg.): Die Entstehung einer Weltreligion VI. Vom umayyadischen Christentum zum abbasidischen Islam.** Studia Islamica Philologica Necnon Theologica Carolo-Henrico Ohlig Dicata. INĀRAH. Schriften zur frühen Islamgeschichte und zum K;oran. Band 10. © 2021 Hans Schiler & Tim Mücke GbR. Berlin und Tübingen. Erstausgabe. 1.Auflage 2021. p.7-11: **Vides ut alta stet nive candidum Soracte.** P.64-129 invenitur **Latina praefatio editionis Alcorani** Lipsiensis a *Gustavo Flügel* a.1834 scripta, a *Valtero Burnikel* in theodiscum sermonem conversa, a *Gerhardo Rudigero Puin* explicata.


# CHRONOGRAMMA ROESSLERIANUM

**Gustl Bayrhammer**

\* 12. Februar 1922 in München

† 24. April 1993 in Krailling

G**V**STA**V**V**S** BA**Y**RHA**M**M**E**R  
H**I**STR**I**O I**N**S**I**GN**I**S



B**I**S Q**V**INQ**V**AG**I**NTA ANN**I**S ANTE NAT**V**S  
G**V**STA**V**V**S** M**A**LLE**V**S BA**V**AR**I**CV**S**  
A**C**TOR THEO**D**IS**C**V**S**  
ATQ**V**E  
I**N**S**I**GN**I**S H**I**STR**I**O POP**V**L**A**R**I**S

\* \* \*

G**V**STA**V**V**S** BA**Y**RHA**M**M**E**R  
AN**T**E 100 ANN**O**S NAT**V**S

## ECHUS VOCES ET EPISTULAE

NAEVIUS SARTORIUS

d.10. m.Febr. a.2022 h.09:25

Care Nicolae,

gratias magnas tibi ago pro epistula et pro cantilena pandemica *Utae*. Nisi fallor, Uta iam nonnullas tales cantilenas composuit. In lingua Francogallica est verbum quo eae apte describi possunt: "*Couplet*". - Eo tempore otium me deficit; filius nunc aegrotat tres septimanas; semper defatigatus est; nec medici nec parentes sciunt causam miseriae eius. - Tamen legi nonnullas partes epistulae tuae novissimae; video venatori in fabula sclopetum pneumaticum esse (nunc appellamus id "*Luftgewehr*"; quondam etiam "*Windbüchse*" appellabatur). Tale sclopetum profecto miraculum quoddam est, quia numquam a scopo aberrat. Sed tale sclopetum vix "*weidgerecht*" (conversionem aptam nescio) esset, si realiter esset. - Etiam cognovi te convertisse verbum Theodiscum "*Weißabgleich*" in "*adaptio chromatica*". Mihi videtur hanc conversionem meliorem esse quam nomen Theodiscum; hac conversione recte statuis omnes colores hoc effectu optico affici posse. Effectus alius appellatur "*aberratio chromatica*" (*chromatische Aberration*). Qui spectat ad refractionem lucis, quae lentibus photodispositivae efficitur. Vale semper. Naevius

**Nicolaus Naevio s.**

valdê me miseret filii tui iam per tres septimanas aegrotantis causâ ignotâ. Cum sciam aliquatenus, quales hâc tempore sint condiciones institutionis scholaris, conicio atque concludo eum potius laborare ex animâ quam ex corpore. Scilicet corpus et animam hominis viventis non posse inter se disiungi: si anima dolet, dolet etiam corpus. Aeterna ista spurcicia coronaria, probae (quoties nunc fiunt? ter in septimanâ? an cottidie?), foedum theatrum mascarum taediosê indignum, suffocans, absurdissimum - rumores, invidia, dissimulatio, odium, delatio, minae, coactio, timor siphunculi experimentalis... Tempore coronario schola est quodammodo ahenum maleficarum, ista pandemia putativa est verum pandaemonium. Homo homini lupus, discipulus discipulo, magister discipulo, director magistro, parentes magistro, magister magistro, etc., etc. Delirant omnes furore coronae correpti. Recordare verba illa Schilleriana illustrissima, quae insunt carmini de campanâ scripto, quibus dicit poeta noster ingeniosus periculosum esse leonem excitare, periculosum esse dentem tigridis, sed terrorem omnium maximê terribilem esse furentem HOMINEM. ("*Gefährlich ist's den Leu zu wecken, gefährlich ist des Tigers Zahn, jedoch der schrecklichste der Schrecken, das ist der Mensch in seinem Wahn.*") - Sunt coronae testes et

denegatores; difficile dictu, quonam modo fieri possit eorum mutua reconciliatio. Sunt etiam multi dissimulatores, qui vernili oboedientiâ praeproperâ laudent gubernationis deliramenta destructiva lucellum sperantes Iudaeque mercedulam; sunt (fortasse plurimi) socordiores et inertiores et ignaviores, quam ut tyrannidi resistent ut saltem quoquomodo audeant contradicere praeceptis insanissimis. Est illud Hobbesianum bellum omnium contra omnes. Animo bene fingere possum, quantos dolores puer duodecim annorum mente illuminatâ praeditus patiat, si experitur istud spectaculum daemonicum atque inhumanissimum. Utinam istud theatrum crudelitatis quam maturrimê collabatur. Utinam nos servent ambulatores et autoplaustrarii et Austriae iudices constitutionales, utinam servet nos consensus omnium hominum sanâ mente et bonâ voluntate praeditorum, utinam bonus Deus nos servet ex istâ caligine furoris scelestissimi. Utinam filius tuus quam maturrimê reconvalescat! Consolare eum et confirma eius animam. Nondum est vesper omnium dierum. Licet interdum terrent nos tenebrae et tempestas; tamen caelum mox disserenascet. Pancraticê vale, mi Naevi carissime, et perge mihi favere. Tu ne cede malis sed contra audentior ito. Perfer et obdura! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

## **VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS**

**D.11.m.Febr.a.2022 h.17:01**

### **Victorius Nicolao sal. plur. dicit.**

In optima Epistula Leonina n. 252 duo vocabula Italica leguntur, quae forsan emendanda sunt. Nam in p. 10, sub locutione, quae est: 'Adaptatio chromatica', rectius est adiectivum Italicum 'bianco', non «blanco». Et in p. 12, sub locutione, quae est: 'Adiumenta mobilitatis', Italice dicimus 'ausili per la deambulazione' sive 'per deambulare'. Vocabulum enim, quod est «deambulamento», non exstare videtur, etsi confictum adaeque alia vocabula Italicissima in <-mento> desinentia veluti ex. gr. 'innalzamento' (Latine: elatio, amplitudo); 'oscuramento' (Latine: obscuritas, caligo). Si autem accidit ut lux electrica improviso interrumpatur, plerique Itali non de 'oscuramento' loquuntur queruntur, sed de 'black out'. Nam fere omnia-praecipue vocabula- quae in mundo Anglico Americanoque nascuntur, nos Itali sicut aurum accipere solemus. Optime valeas, mi Nicolae.

### **Nicolaus Victorio salutem plurimam.**

Gratias magnas, care amice, pro emendationibus. Etiam multi Germani - proh dolor - anglissant ultra modum. Qui sunt miserrimi flosculi radicibus orbat. Ceterum - obscuramentum (ut ita dicam) Prasinorum furore climatico effectum est magnum periculum maxime timendum.

Tali defectu electricitatis totali per paucos dies reiciemur in aetatem neolithicam. Nobis tantam calamitatem patientibus nullum solacium restabit nisi unum: Si quis vita superabit, non iam eliget factionem Prasinorum neque umquam perget Gretulam venerari. Vale pancratice, mi care Victori. Utrumque pollicem premam, ut tibi omnia evadant feliciter. Medullitus te salutat Nicolaus.

### **RADULFUS LAVALLE ARGENTINUS**

#### **Carissime et doctissime Leo Latine**

Gratias ob novum numerum. Inter alia, magni momento mihi fuit de historia Chiliensi recenti legere. Quod est etiam, partim, de historia Argentinensi, quia Latinoamericani latinoamnesicani sumus. Valet, Radulfus

### **PAULUS KANGISER IACOBOPOLITANUS**

#### **Paulus Nicolao s.p.d.**

Accepi Epistolam Leoninam 252 quae opusculum meum continet; legi commendationem tuam pro qua gratias tibi ago. Spero fore, ut haec historia lectoribus Epistolae vere placeat. Cura ut valeas.

### **ANSGARIUS OSLOENSIS**

d.19 m.Febr. a.2022 h.19:35:

<https://rubble.com/vtei61-denmark-has-lifted-all-corona-restrictions..html>

#### **Nicolaus Ansgario sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Quid tibi videtur, care Ansgari, de *Mads Palsvig* Dano argentario quondam nunc activistâ anticoronario? Mihi quidem hic vir videtur admirabili acumine mentis. Quid tibi videtur? - Estne hic vir in Norvegiâ et in Suetiâ iam bene notus? Scribas, quaeso, quidquid tibi in mentem venerit. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.21. m.Febr. a.2022

#### **Nicolao salutem Ansgarius.**

In Norvegia cives legibus non obligantur ut inoculationem vaccinae patiantur, nec diploma covidianum, ut vocatur, adhibetur. Etiam in Suecia, ni fallor, iam actiones ad epidemiam continendam sustulerunt. Nihilo secius, imprimis in Germania et Austria, sed etiam in Gallia et Britannia, haud raro fit ut homines qui de ratione vaccinae dubitant, rei publicae moderatores et asseclae eorum, diurnarii, notent et designent pariter ad ignominiam et ad privationem iurum civilium. Nam si quis cum cautione interroget de vaccinia, vel de qualibet re, quam gubernatio veram esse declarat, statim aestimatur cupidus rerum novarum, et qui democratiam labefactare dolose

studeat. Nunc enim temporis non licet de rebus etsi levioribus disceptare nec quicquam in dubium vocare. Omnibus horis, sententiam fronte celare oportet, ut re vera iam omnes sinenses facti simus. Nam pandemia illa, nisi me fallunt omnia, per causam salutem publicam curandi, dolis et fallaciis utuntur moderatores gubernationis nostri, qui sane fidem pretio addictam habent, ad rem publicam evertendam. Quod cum ita sit, homunculus sum nullius pretii, quippe qui vitam solitariam atque inclusam degam, et praesertim in litteris et somniis verser, raro ut cum hominibus probis ac bene moratis, et qui democratiam tuantur (id est diurnariis et aliis), me coniungam. Fac valeas!

**Nicolaus Ansgario s.**

Vereor ne verê dicas nos iam Sinenses factos esse. An sumus iam digni qui dicamur servi Orwelliani esse? Horreo etiam animadvertens quam similis sit affectus animorum in terris variis totius orbis terrarum. Lego et audio similes esse statûs animarum tempore istius pandemiae putativae in Germaniâ et Norvegiâ (ut ipse refers) necnon in Canadâ et in Coreâ australi (ubi habitant uxoris meae cognati). Verum enim vero sub praetextu pandemiae democratia est destructa; qui dicitur novus ordo mundi, reverâ est dictatura plutocratarum, qui nos sub praetextu beatificationis hominum ubiquitariae redigunt ad egestatem et servitutem et plenam identitatis individualitatisque amissionem. Quod Deus avertat! Utinam *Matthiae Palsvig* omnibusque hominibus bonae voluntatis id contingat, ut finem imponant dominationi globalistarum inhumanissimê arrogatae! Pancraticê vale, mi care Ansgari, et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

**CORRIGENDA ET SUPPLENDA**



## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... 49,00 €
- 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... 42,00 €
- 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... 45,00 €
- 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... 25,00 €
- 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... 22,00 €

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI –</b> Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner- Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00

13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50
14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM</b>	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90

26	0040 6A	978-3- 938905- 25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 –  <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –  <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM TERTIAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Martis  
22. m.Febr. a.2022**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**